



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lævini Torrentini, Episcopi Antverpiensis, Poemata Sacra**

**Torrentius, Laevinus**

**[S.I.], 1594**

Ad Pivm Qvintvm Pont. Maximvm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69329](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69329)

AD PIVM QVINTVM  
PONT. MAXIMVM.



Ccipe quæ tenui ferimus, Pater optime, cultu,  
Accipe, sed læta munera nostra manu,  
Et licet Arctoo producta poëmata cælo  
Obtineant Latij ius, precor, illa tui.  
Nam quanquam extremis nos Gallie  
protulit oris

Belgica, qua magnum vergit ad Oceanum,  
Attamen Ausonias quondam lustrauimus urbes,  
Estque ibi pars vitæ magna peracta meæ.  
Hic Tuscum Tiberim, & Romana palatia vidi,  
Contigit & vultus sæpe videre tuos.  
Quin & honoratæ dare contigit oscula dextræ,  
Narrantem longæ quæ mihi causa viæ.  
Contigit auratis timidum procumbere templis,  
Votaque ter sanctis soluere Numinibus.  
Nondum oblata sacri iam tunc moderamina regni,  
Debita præ cunctis sed tibi fama fuit.  
Quod tua nunc pietas toto testatur in orbe,  
Testantur laudis tot monumenta tuæ.  
Ast ego quæ didici magna dum verlor in urbe,  
Et veneror primos Palladis arte viros,  
Fixa satis firma quia mente fideliter hærent,  
Hausta velut coctis purpura velleribus,  
Non Boreæ rigor, aut duri violentia cæli,  
Eruere Alpinæ non potuere niues.  
Quin nuper validas terrens Dux perfidus arces  
Cùm raperet fœdo cuncta latrocinio,  
Ense ferox, flammisque furens, regnisque Philippi,  
Scilicet, & sacriss tristia fata parans;  
Hic ego, tam sæui pars non ignota pericli,  
Mosa tuos Eburo quâ locupletat agros,

4  
Moxque alios amnes centum, Rhenumque bicornem  
Excipit, vndoso præcipitatque mari,  
Et totidem paribus suspendens tempa columnis  
Legia honoratum tollit ad astra caput,  
Legia diuino latè celeberrima cultu,  
Atque vni cedens maxima Roma tibi,  
Hic ego iam cœptis dubio sub Marte libellis,  
Cælesti metuens nil graue tutus ope,  
Insomnes iterant noctes dum classica, summam  
Imposui Phœbo non renuente manum.  
Virgineos igitur partus, noctemque salutis  
Principium, castæ religionis opus,  
Et quamuis gelido natos sub sidere versus  
Non veritos prisci poscere ius Latij,  
Magne Pater, cape dona lubens, votisque faueto,  
Præferat ut nomen pagina nostra tuum.  
Sic neque nos manibus tanget mala turba profanis,  
Et magis intento qui pius ore leget.

LÆ VI-